



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim**

**Innozenz <III., Papst>**

**Parisiis, 1682**

XVII. De circumventionone.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20006**

litteris contineatur expressum quod prædecessor noster C. super renuntiatione à te super privilegio & aliis scriptis facta nullum tibi vel successoribus tuis aut etiam monasterio & duabus Capellis de Pigavia præjudicium voluit generari.

## TITULUS XVII.

## De circumventis.

*Idem Lucensi Episcopo & Abbati de Molon.*

**C**um illius vicem non suffragantibus meritis geramus in terris de cujus vultu prodit iudicium & vident oculi æquitatem &c. *Et infra*: Si vobis constiterit Abbatem ipsum Cellæ novæ ad sedem apostolicam, antequam Episcopus in eum suspensionis & excommunicationis & in monasterium interdicti sententias tulerit, legitimè appellasse vel esse à jurisdictione ipsius Auriensis Episcopi exemptum, eo non obstante quod Abbas ab Episcopo, sicut dicitur, circumventus præter fratrum suorum consensum ei obedientiam repromisit, cum fraus & dolus ei patrocinari non debeant, sententias illas iudicetis appellatione remota penitus non tenere. Alioquin faciatis eas per censuram ecclesiasticam inviolabiliter usque ad satisfactionem congruam observari. Quod si fortè Abbas ipse in exemptionis probatione defecerit, nec legitima se poterit præscriptione tueri, licet probet se ante dictas sententias appellasse, nihilominus tamen monasterium ipsum Auriensi iudicetis Ecclesiæ subiacere, in cujus diocesi est fundatum. Similiter eo in appellationis probatione deficiente, si vobis de exemptione vel legitima præscriptione constiterit, tam Abbatem quam monasterium ab eisdem Episcopi & Ecclesiæ ipsius super hoc impetitione penitus absolvatis.

*IDEM ARCHIEPISCOPO  
& Præposito sancti Andreæ.*

Lib. 1. epist.  
84.

**C**um universorum fidelium ab ipso Domino Jesu Christo pastoralis sit nobis cura commissa, sollicitudini nostræ dinoscitur expedire ut sic debeamus quoslibet in suis rationibus confovere quod aliorum jura in conspectu Ecclesiæ dispendium non sustineant, sed firma & illibata debeant permanere. Intelleximus siquidem dilecto filio G. Canonico sancti Johannis in Leodio referente quod cum & ipse & L. Clericus, ducti quadam ani-

mi levitate, permutationem præbendarum suarum inter se tractare coepissent, quia utilitatem utriusque imminere credebant, tandem idem L. Clericus occasione dictæ permutationis, præbenda ejusdem G. quam in Ecclesia beatæ Mariæ Namurcensis habebat, cuidam suo consanguineo assignata, præbendam sancti Bartholomæi, quam sæpedito G. promiserat, nequaquam voluit resignare, & sic idem G. (ut asserit) sua spe remansit omnino frustratus. Cum igitur deceptis & non decipientibus jura subveniant, fraus etiam & dolus nemini debet patrocinium impertiri, licet ipsi de se non possent ecclesiastica beneficia permutare, ut tamen simplicitati venia tribuatur, discretionis vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus si vobis constiterit prætaxatum G. taliter fuisse deceptum, ab ipsa Namurcensi præbenda, quam diu dicitur possedisse, amoto consanguineo ipsius L. vel quolibet alio illicito detentore, eandem sublato appellationis obstaculo G. faciatis restitui memorato, & eundem ipsius pacifica possessione gaudere.

## TITULUS XVIII.

De his quæ vi metusve causa geruntur.

*Idem Decano & Subdecano Lincolnensi.*

**A**d audientiam nostram dilecto filio magistro He. significante pervenit quod cum Ecclesiam de Chevele auctoritate sedis apostolicæ canonicè fuisset adeptus, & aliquandiu pacificè possedisset, gravissimo tandem Regis metu quod eam resignaret jurare coactus, eam in eorum ad quos pertinebat manibus resignavit. Quia verò quæ vi metusve causa fiunt, carere debent robore firmitatis, mandamus quatenus si eundem magistrum eo metu ad resignationem faciendam vobis constiterit fuisse coactum qui potuerit vel debuerit cadere in constantem, non obstante juramento prædicto, quo non ad repetendum sed ad resignandum solummodo tenebatur, præfatam Ecclesiam ei per censuram ecclesiasticam sublato appellationis obstaculo restitui faciatis.

*IDEM MASSILIENSI ET AGATENSI  
Episcopis.*

**C**um dilectus filius Abbas de \* Ferendillo &c. *Et infra*: Quia constitit nobis

Lib. 2. epist.

21.

\* Leg. Florentia.

Nam causa Ab-

batis de Ferendillo extrac lib.

1. epist. 377.